



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Cur Psalmis additum Gloria Patri &c.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Dei. 3. Ordo Psalmorum *Ecclesiasticus* est, qui ponitur in Breviario. Si divides Psalmos per horas; ad Matutinum per hebdomadem invenies in Breviario Psalmos 91. ad Laudes 13. ad Vesperas 35. ad alias horas 11. qui faciunt summam 150. Damasus ex distributione facta à S. Hieron. constituit in Dom. Matut. 18. Psalmos, in matutinis ferialibus 12. in Matut. festorum 9. ad horas minores Ambrosium secutus distribuit in plures partes Psalmum 118. *Beati immaculati.* De numero duodenario in feriis narrat Cassianus: quòd coram Monachis Angelus apparens 12. Psalmos continenter cecinerit, iisque finitis cantaret Alleluja, ac siluerit non amplius visus nec auditus. Unde à Conc. Turon. c. 19. in Matutino 12. saltem Psalmos expediri iustum est factâ mentione prædictæ visionis Angelicæ.

*Cur Psalmis additum Gloria Patri &c.*

4. Additum est in fine cuiusque Psalmi *Gloria Patri, &c.* ex institutione Damasi. Et hoc versu manifestè distinguimur à Judæis, Paganis & Hæreticis SS. Trinitatem negantibus. Conformamur verò Angelis, qui quotidie canunt Deo Trino & Uni. Vult etiam Ecclesia nos semper esse memores finis nostri ultimi scilicet visionis ac fruitionis Dei Trini & Unius. Non dicitur *Gloria Patri* in triduo majoris hebdomadæ, quia in Passione Christi visa est SS. Trinitas obscurari, & tunc maximus luctus est in toto anno. Qui, quia quoque est in officio Defunctorum, & tunc justè etiam mortis Christi memo-

memoria recoli potest, in eodem pariter *Gloria Patri* omittitur. Quia hic lætitiæ versus non nisi à summo luctu excluditur. Et cur non mors cujuslibet fidelis refricaret memoriam mortis Christi, quam ille amore nostri perpeffus est? cùm Resurrectio Christi & nostræ resurrectionis infallibile sit argumentum, scd. Usus ejusdem Psalmi in pluribus festis ad Matutinum est ideo, quia in eo plures & varii versus variis quoque festis accommodati sunt. Et hinc etiam in Vesperis Sanctorum accidit mutatio ultimi Psalmi Dominicalium; quia mox hic, mox ille Psalmus est conformior festo. Standum autem esse ad Psalmos probat ex Petro Damiani Baronijs, ut ex statione corporis demonstramus affectum mentis, & paratos nos esse sive ad demandam carnem nostram, sive ad exercitium operis, quod innuit Psalmus in causa nostra & fratrum. Stantes etiam & vigilantes in operibus bonis facilius vincimus hostes.

17. *Quid Canticum? septem Cantica in Breviario ex veteri, & tria ex novo testamento.*

**D**E Canticis nota sequentiâ. 1. Teste Euthymio Psalmus est carmen cum instrumento psalterii. Canticum est vox musica cum harmoniâ ore solo prolatâ. Mysticè Psalmus bona opera, Canticum gratiarum actionem significat. Primus Autor Cantici est Moyses. Fuit Cantici usus apud Apostolos juxta c. 3. ad Coloss. 2. Septem Cantica habentur in Breviario ex Script. veteri. *Primum, Cantemus Domino;* quod